



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Sacra Veterum Temporum Uti Et Evangelica, Ac
Apostolica Historia**

Steinhart, Franz

Ingolstadii, 1734

VD18 90104692

Abimelech, Judex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62332](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62332)

omine gratis, reversus in castra manipulum tripartitò dividit, singulisque in dextram manum dat tubam, in sinistram lagenam seu hydriam fistilem, ardente intùs face. His armis instructos in hostem ire jubet. Igitur medià nocte terni Duces cum sua quisque centuria versus castra Madianitarum diversis viis silentio progrederuntur. Ubi ad destinatum locum perventum est, datò à Gedeone signo simul omnes per castrorum ambitum tubis personant, lagenas inter se mutuo complodunt, ac demum horrifico fragore confringunt; productis mox facibüs tota castra inimico fulgore perstringentes alternatim nunc tubis ululant, nunc junctis vociferationibus conclamat: *Gladius Domini & Gedeonis, gladius Domini & Gedeonis.*

Et hostes in-
ternectione
delet.
c. 7. à v. 22.
& c. 8.

Insolita pugnæ species usque èd Madianitarum castra turbavit, ut ad primum quidem tubarum ac lagenarum clangorem ad arma cum tumultu procurrerent; at incerti, ad quam partem in tanto undique allabente strepitu se primùm converterent, suos pro hostibus habentes, obvios quosque invadunt, ac Numinis impulso mutua se cæde conficiunt. Qui fugā è castris evaserunt, cæsi sunt partim ab Ephraimitis, ac inter eos duo Principes Zeb & Oreb Madianitæ; partim a iis, qui anteà missionem acceperant, partim à Gedeone cum suis ultra Jordanem eos persequente, duobüs solis Regibus Zehee & Salmana servatis atque in vincula conjectis: quos tamen postea Gedeon, fratres suos ulturus ab his crudeliter maestatos, sua manu interfecit. Acclamatum est victori communi Israëlis voce: *Dominare nostri, & filius tuus, & filius filii tui, quia liberasti nos de manu Madian.* Reddita sic patriæ pace Gedeon deinceps habitavit in civitate sua Ephra.

Abimelech, Judex.

Ab An. 2769.

Abimelech
septuaginta
fratres suos
occidit.
c. 6.

M Oriens Gedeon reliquit septuaginta filios, quos ex pluribus uxoribus, veluti mos tunc ferebat, genuerat. Praeter hos unum habuit Abimelech nomine ex concubina, seu minoris notæ uxore natum, quam amaverat, & sibi accedere solebat in urbe Sichem. Iste post mortem Patris, stimulante ambitione, ad Judicis dignitatem per septuaginta fratribus cædem gradum facere meditabatur. Venit igitur in Sichem, & per suæ Matri

Matris Cognatos egit cum primariis civibus, ut eligeretur in Principem. Imperato horum consensu conduxit validam hominum conseleratorum manum, quorum operâ in oppido Ephra comprehendit septuaginta fratres, eosque super unum lapidem occidit, singulis capite truncatis. Hoc ad Principatum præludiō usus ad suos Sichimitas redit, à quibus etiam Princeps constitutus est juxta annosam quercum oppido vicinam, Joatham minimo Gedeonis filio, qui unus servatus fuerat, è monte Garizin eos dehortante, ac ipsis maledicente.

Israëlitæ statim à morte Gedeonis ad sacrilegos Baalis cul-
tus relapsi erant, præsertim Sichimitæ, ac ipsi etiam Gedeonis
filii à DEO fortassis tam crudeli morte puniti. Duce nunc Abi-
melecho majora adhuc iucrementa accepit impietas, ita ut cum
Baal etiam foedus percuterent, ut esset eis in DEum. At bre-
vi meritas dedere poenastum Abimelech, tum Sichimitæ; ru-
ptâ enim inter illum & hos amicitia, civitas ipsorum à tyranno
capta deletaque est. Propagatō deinde per alias quoque urbes
tyranni odiō ipse, dum captâ civitate Thebes turri, ad quam se
Principes urbis receperant, ignem subdit, faxo à fœmina deje-
cto, percussus interiit, tribusque adeò annis impiè ac crudeli-
ter præfuit.

Israëlitæ Baal
colunt, & A-
bimelech pœ-
rit.
Jud. c. 2. à v.
32. & c. 9.

Thola, Judex.

AbAn. 2772.

Post tyranni mortem Thola de Tribu Isachar Judex præfuit
viginti tribus annis. Quid verò vel pro Republicâ vel pro
Religione gesserit, nihil Scriptura habet, contenta indicasse, eum
potius Abimelech surrexisse, & judicasse Israëlem viginti tribus an-
nis, & mortuum esse.

Thola præf.
23. annis.
c. 10. v. 1. &c. 2.

Hujus tempore Noëmi nobilis fœmina de Tribu Juda redit
in patriam. Migraverat ante annos aliquot famis tempore in
Moabitidem cum viro & duobus filiis. Ibi cùm hi uxores Moa-
bitidas duxissent, non diu post mortui sunt. Orbata deinde
etiam viro in Judæam reversa est, comitante ipsam altera nuru
Ruth nomine, quam postea Booz uxorem duxit, factaque est
Moabitis ista Progenitrix Christi Domini; natus est enim Obed
ex Ruth. Obed autem genuit Jeste. Jeste autem genuit David.

Ruth Moabi-
tis Progeni-
trix Christi
Domini.
Lib. Ruth pes
4. capita.

M 3

Jair,